...rus

Sawicki Basilii: Serenum inter nubila mundi eximiis virtutibus et mortis D. Casimiri Sowiński coruscans —

SERENUM
INTER NUBILA MUNDI,
Eximijs Virtutibus, & Meritis,
PERILLUSTRIS, & REVERENDISSIMI DOMINI,
D. CASIMIRI SOWINSKI,
DIVINÂ VOCATIONE,
SACRI, AC CANDIDISSIMI, CANONICORUM REGULARIUM,
ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS,
ABBATIS NEO-SANDECENSIS,
Auspicatò
CORUSCANS:
Dum Cracoviæ in Ecclesia ejusdem Sacri Ordinis
Sanctimonialium Zwierzynecensi,
PER
ILLUSTRISSIMUM, ET REVERENDISS: DNUM,
D. STANISLAUM
à SŁUPOW
SZEMBEK,
DEI, & S. Sedis Apostolicæ gratiâ,
EPISCOPUM DIONYSIÆ, SUFFRAGANEUM,
CANONICUM, VICARIUM IN SPIRITUALIBUS,
& OFFICIALEM GENERALEM CRACOVIENSEM,
RITU SOLENNI
IN ABBATEM BENEDICERETUR;
A
M. BASILIO SAWICKI,
In Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore,
Novodvorsciano Grammatices Professore,
In Orbis Faciem, Officiosæ Venerationis & gratulationis ergò,
Opere Panegyricô,
PRODUCTUM.
Anno Salutis 1699. Die 24 Februaij.

CRACOVIÆ, TYPIS UNIVERSITATIS.

IN STEMMA,
Sacri, Candidiſſimi, & Canonici Conventûs
NEO-SANDECENSIS.



ASſurgit Virtus Cælo vicina Sereno,
Dum Patris & Nati gratior Aura venit.
Hoc iter, ad Sacræ Faſtigia celſa Tiaræ:
ABBAS! pro meritis, iſta Corona datur.

Remigius Chwalibog,
Grammat: Studioſus.

SERENUM
Eximijs Virtutibus, & Meritis,
AUSPICATO CORUSCANS.

PRæcelsa Magni Nominis Fastigia,
indeficiens serenum nisi lustret, illustretq; Virtus;
condent nubila mundi.
Coruscantia, Deæ magnum colentis Antrum lumina;
(perennare hæc,
publica, Antoniorum, Ptolomæorũ, Persarumq; exambiunt vota)
infuscant veriùs, quàm irradiant.
Ad fulgur hoc,
heû! quot, & quanti cæcutiunt Belisarij!
antequàm innubem non moritura gloriæ viderint diem.
Tollunt quandoq; Cassios, Pompeios, Marios, Volubiles Fortunæ axes:
ad summum perennaturi splendoris haud provehunt Meridiem.
Nimirum:
In rebus humanis, eminentius virtute nihil;
& ad augem,
vbi trepidante è genu, reuerentis datur gloria pensi,
sidereo pertingit itinere;
Quadrijugos illius, labore plenos,
non levis meritorum Phaëton,
si condiscat agitare currus.
Progeniem illa sibi, non inficiandam Parenti,
Divinior immensi lux publica mundi,
terrenis vtcunq; latibulis natam,
ad suam, sublimibus altam honoribus, prouehit Regiam;
& sideribus porrigere maiestatem,
primævam negotij tenet partem.
Nulla caret Cynosura nube;
Nemo, populi favores sic habuit pronos,
vt iniqua nunquam sæviret aura.
Jn palatinis meritorum ædibus
nihil reperias;

quod non ſolis radios æmuletur:
cui, ſi aliqua violentia, nubem tantiſper offuderit;
proprij candoris conſcia,
adversùs inſidiantes luci ſuæ, excandeſcunt fuligines,
eo ipſo ſplendoris candidata;
quia merita.

Nempe:

obſcura illorum non latuit gloria;
nec aliqua, lucis ſua diſpendia numeravit.
Hæc, perpetui ſine nube Sereni Epitome,
hæc, præcelſæ, æternumq; Venerandæ Virtutis claritudo,
atq; immortalium meritorum ſplendor,
veriori ſe explicuit documento,

In Te

Perilluſtris, & Reverendiſſime Domine,

D. CASIMIRE SOWINSKI,

Divinâ Vocatione, Abbas Neo-Sandecenſis.

Tu propriâ meritorum luce,

exhibes Serenum inter nubila mundi:
In abditis nempe Religionis locis,
è fluctuanti vitæ huius Oceano aſſurgens Phœbus.
Et ex inde maximè
omnia dignitatis, plena laudis, pleniſſima gloriæ habes;
quòd citato Curſu:
ab ipſis videlicet Cunis,
in provectiori inculpatæ virtutis ſtatione, poſitus ſemel,
nunquam declinâſti in occaſum.

Proſpero Numine ſuperûm,

Magnus Divi CASIMIRI Nominis Cultor,
in ſublunarem, viventibus communem, effunderis ſplendorem:
vel ideo Magno Tutelare Tuo non indignus;
quòd Tibi, ſimili virtute rutilans, radiorum inſerviat ordo,

Iridem Te ſtatim,

quam ſpondes Nominis etymo,
ſuſpexêre omnes:
hoc vno nobiliorem Iride;

quòd

quod non egeas alienæ lucis ſuffragijs.
Currus non exambijſti paternos,
inq; diem, alipedum jus, & moderamen equorum;
quibus olim in hunc Tuæ Magnitudinis provehereris meridiem.
Non ſum Argolus,
vt Horoſcopum, aut præſaga de cælis ſidera detraham.
Fuerunt fauſta, huius vitæ prodroma initia;
quando ducto in obſequium, ampliſsimo recti ſatellitio & comitatu,
nitidum indulgentis Lucinæ detexiſti ortum.
Deſiit in pleriſq; maiorum gloria,
& meritis obligata ſerenitas:
Tuos Natales,
pietas cohæres, ſapientia comes, continua in virtutem merita,
ſerenârunt, illuſtrârunt.
Tales circum caput omne micantes gerens radios,
Infantiam,
velut Titan, eoas relinquens umbras,
ad Apſim verecundiæ, & honeſti meridiem,
Divino commendante Platone
duxiſti parallelam.
Coævam quippe voluiſti ætati eſſe pietatem;
Aaronis in Te CASIMIRO prærogativâ oſtenſurus,
cum ipſo flore fructum parturire.
Tandem,
innatam indolem Tuam protrudente Virtute,
Nobilem ad inclytum Iagellonicæ Pallados Horizontem,
promoviſti gradum,
alteram inſtitutionis hauſurus lucem.
Rudiores animæ, in pulchrum non ituræ nomen,
ſatis ſibi ſcientifici ominantur illuxiſſe ſplendoris;
ſi otium ſuum perluſtrent, & inertiam.
Tu,
palmarem virtutis & ſapientiæ viam,
laudatis paſſibus emetiri inſtituens;
Cleantis haud extinxiſti lucernam:
quin, diem publico eruditionis nitore ſerenâſſet.
Irem hic in vberrimam Literariæ Eruditionis copiam;

Demirarer observando Phœbeos per Gymnasia gradus:
nisi adumbras edoctum ingenium, fuliginem offudisset.
Iuisti semper ex composito sapientiæ
ubiq; major.
Invitabant Te Arbores solis, in Academo virentes, sub tenerrimam sui vmbrã
vocabant & libera in diversum mentis Tuæ studia & vota,
vt lætioris ætatis fert genius;
sed non potuerunt:
Qui
Omnem mortalium scientiam, etiam Intelligentiarum æmulam lumē
esse fatuum; & festiva mundi gaudia, fatalem animæ caliginē, probè agnoscens
in Deo sapere, & lætari in Deo decrevisti.
Stat nulla certò prosperitas locò:
Rerum beatos tangere limites,
Immane portentum: omne lætum.
Ambiguo solet ire passu.
Itaque,
Ter binos supra decem numerando soles,
gemmeum, non rerum, sed morum arripuisti tramitem.
Non seculari fulgere nitore,
sed candore animæ prælucere sollicitus;
teneriore Supremi Iovis accensus amore,
Divinior Ganymedes,
Primitias Iuventutis,
in Præmonstratense Religioso Sacramentò devovisti ministeriũ,
Divorum Vitem, an veriùs vitam,
non mundanis ambrosijs,
sed Canonicâ ordinatam Regulâ,
sereniore Phœbo auspicaturus.
Ergo,
Sanctitatis Delicium, collectio pietatis,
quibuslibet virtutis & meritorum donis ornatissimus,
verè Magnarum Alarum Aquila,
Perillustris, & Reverendissimus Dominus,
D. THEOPHILVS KACZYNSKI,
Abbas Neo-Sandecensis,
introduxit Te in Domum Domini ministrare.
Tali-

Talibus auspicijs
succeſſit feliciter votum;
quia bene natum ſanctiùs vivendi ardorem,
inculpata pietas Magiſtri præceſſit.
Adeò namque fervens eſt ad gloriam nobile ingenium,
vt, quos ſibi propoſuerit in exemplar,
aut pari adæquare virtute, aut maiore præcurrere velit.
Lydius ille Spirituum, divini cultûs Aſſertor,
Illuſtris, & Admodùm Reverendus Dominus,
D. ADRIANVS SWIECZANSKI,
Adminiſtrator & Prior Neo-Sandecenſis,
fuit Divinior Hercules;
cuius Tu Theſeus imitatus virtutem,
nullum tranſijſti gradum, quin altiorem,
procedendo de Virtute in Virtutem, ingredereris;
vt dubium ſit:
pluſne admirationis? an imitationis reliquiſſes?
Tuum fuit illam,
quam, tanto ſub Magiſterio hauſiſti lucem,
egregijs moribus;
pulcherrimo vitæ apparatu;
& ſingulari devotione, reddere ampliorem.
Quis dignè referet?
Quomodò virtutem præclariſſimam,
mundi ſapientibus minimè notam,
ab ipſa Dei Sapientia mirificè commendatam,
Virtutem admirandam,
paucis dilectam mortalibus,
Humilitatem,
totô complexus animô,
inter reverentiam & amorem Numinis,
aduſq; blandimenta & delicias Canonici Firmamenti
reliquis, Sideribus æmulis, ſplendorem diffundebas.
Tandem lux aurea venit,
quâ accederes ad Aras,
Verbo VERBUM, *per quod omnia facta ſunt,*
B è cælo

è cælo in terras evocans;
DEUM, *qui est ignis consumens*,
Sanctior Prometheus
sub Eucharistico Pane & Vino,
& Gentibus, & pro Gentibus, meliore fide oblaturus.
Sacrosanctum hoc Epulum
non adire, sed involare videbaris;
& Angelica hac Dape refectus,
ambulasti non quadraginta, vt olim Elias,
ast nonies quadraginta diebus, totô scilicet annô,
ad Montem Dei Horeb.
Celsitudo hæc est, atq; fastigium Archiducis novæ militiæ religiosæ,
quæ nisi fundamenta in montibus altis habeat,
(*Homo Sanctus sicut Mons Sion qui non commovebitur*)
in vanum laborabit, qui ædificare voluerit.
In auge hac,
Magnus oriebare Planeta:
cuius natura est in inferiora influere;
& quâ affluit, eandem in infima spargere qualitatem.
Influxisti pietatem,
inter exemplarium summos numerandus,
in gemmantes illos Præmonstratensis Plantationis Surculos;
atq; vitæ Sancta serenitas, circumfusa Tuæ luce modestiæ
(quâ nil melius, nil post empyreas nobilius plagas)
sic in ipso ætatis flore, maturavit fructum Virtutis:
vt messem perfectionis in herba colligeres.
Quid igitur?
Tantum Novaliorum Cultorem!
ad seminandum Verbum Dei in cordibus suis,
Sanctiores Vestæ invitarunt.
Bene est;
Annuis votis, quorumvis laborum magnitudinis capacissimus,
non indignum se, suâq; indole intelligens.
- - - sicut splendentia cæli
sidera, voluntur liquidum per inane micantes,

non tamen vt infimæ magnitudinis stellæ;
quibus latendi necessitatem intendit natura:
sed sicut Sol, suo semper illustris meridie,
fixæ impatiens sedis,
ad præcelsum Prædicationis in Cracio Meridiano Apogæum,
cum omnium gustu sapidissimo, provectus,
Sacris pro exedris,
Divinos ad Populum Electionis concinnasti sensus.
Quàm melleum in eloquio Ambrosium!
aureum in Verbis Chrysosthomum!
vehementiorem in fulmine Fulgentium!
& amabant plurimi, & regustabant Vniversi.
Quid ni?
gratiosus & suavis Ecclesiastes fuisti:
qui bis geminatis vsq; annorum spatijs,
audiri debuisti regustando.
Verùm non licuit
immorari amplius hemisphério illi,
præ summis Inclytæ LASOCCIORVM Domûs votis:
In Aulam,
quod *vnum pro cunctis fama loquatur opus*,
Jllustris, & Magnifici Domini.
D. MICHAELIS LASOCKI,
Succamerarij Terræ Vissogrodensis.
indeficienti coruscantem sereno, promovisti gradum.
Sic tenuisse vestigia; quid aliud?
quàm respondentem Paternis virtutibus, carissimi Pignoris pupillã
ad Te Titana explorari:
quàm genuinam Viri perfecti effigiem,
arte, Dijs effingendis, quàm hominibus meliore, formatam,
Vniversæ Aulæ imitandam proponere, fuit.
Quantus hic virtutis Successus! Quantus meritorum Splendor!
Nobilissimam hanc Domum
ceu præmissam Speciosissimi Candoris Cynthiam
exortum à Maiorum Votis, augustius secutum est, Mane,

 verè

verè serenum inter nubila mundi.
Pulcherrimis decoribus vndiq; cumulatum lumen hoc,
non hebes sed avidior spectavit Hebdovia,
suumq; Magnum, (Priorem nempe) coluit Luminare:
à quo benefica lux in omnem illius sparsa vultum,
grandiorem meritorum diem,
Tibi illustri radio accendit.
Nempe
Certatum fuit feliciter, pro virtute, ac meritis Tuis,
suffragijs ac desiderijs omnium in Loco Honoris;
priusquàm
CELSISSIMUS PRINCEPS,
Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus,
D. IOANNES DE MAŁACHOWICE,
MAŁACHOWSKI,
Dei & S. Sedis Apostolicæ Gratia,
EPISCOPUS CRACOVIENSIS, DUX SEVERIÆ
antiquæ probitatis, Candoris, & zeli PRÆSUL,
Pastor tantus!
Gemmeâ gratiarum suarum FASCIA
velut Zonâ aureâ,
Pectus Sapientissimum
Perillustris, & Reverendissimi Domini,
D. CHRISTOPHORI STANISLAI,
DE DĘBICA,
DEBICKI,
Sac. Theologiæ & I. V. Doctoris, Ecclesiarum,
Cathedralis Crac: & Collegiatæ Sandomiriensis Canonici,
& Officialis, Præpositi Stobnicensis, S. R. M. Secretarij,
Angeli Magni Consilij
in supremum suffragiorum moderatorem
Neo-Sandeciam Deputati, revinciens,
Cor & votum tuis alligasset meritis:
Tu iam ABBAS in cordibus omnium victor triumphasti.
Sere-

Serenum inter nubila mundi,
Sacro illi affulsit cætui;
quòd laudatæ & exercitæ laboribus virtutis Honorarium,
ingens Religionis Insigne,
Tiaram,
& Virgam Directionis,
festino omnium plausu, Tibi deferret.
Tu vero quid?
Honorem illum multùm diuq; miratus,
quòd ad Te venerit:
Libentissimè ipsam virtutem ignorare volens,
quia præstantiam auctam vidisti:
vltra demissionem Religiosum efferre Caput,
grande piaculum arbitratus.
Vinctum Victumq; diu, modestissimo de Te sensu, tenebat animus,
an humeris?
Vices Sanctissimi PATRIS & PATRIARCHÆ Tui, imponeres;
atq; Abbatialis vigilantiæ curas,
munusq; Angelicum,
cum Viris integerrimis, Sanctitate illustribus;
Tantis Firmamenti Præmonstratensis Atlantibus!
IANTHCIIS, NARĘBSCIIS, IORDANIIS, MORSCIIS,
ZYCHOWSCIIS, ZERONSCIIS, SWIECZANSCIIS,
atq; quos singularis commendat pietas, KACZYNIIS,
Novus Alcides,
communicares.
Sed devota Patrum effecêre desideria;
Vt Tu emeritissime,
Sanctam ABBATVM aperires PORTAM;
solveres signacula septem,
Decimus Septimus Abbas;
atq; Sacrum eius conscenderes Augustal.
Non est pondus honor, functa laboribus
Dum ceruix meritas, accipit Infulas:
Illi maxima moles,
Cui nullo merito Infula.

 Quare

Quare,

intende proſpere,

vt in eo Gemma ſplendidiſſima coruſcaret;

Caput Tuum verè aureum, deſtinavit Virtus.

Extende Dexteram, prehende Virgam cum Aaron Florentem,

infer in Tabernaculum Domini, in perpetuam memoriam, & in ſignum

quòd Deus accepit Te in Suum.

Procede purpuratis paſſibus;

quia per Gentilitias ROSAS,

Illuſtriſsimi, & Reverendiſsimi Domini,

D. STANISLAI à Słupow SZEMBEK,

Dei & S. Sedis Apoſtolicæ Gratiâ, Epiſcopi Dionyſiæ,

Suffraganei, Canonici, & Officialis Generalis Cracovienſis,

in Nomine Domini benedictus,

ad Tiaram.

Perenna, inclyta Abbatum Sandecenſium Gemma;

Immortale Nominis decus & gloriâ;

Auſpicata Serenitas; & Splendor Sacri Ordinis.

Applaudunt Honori Tuo ſingulorum vota,

& gratulantur:

Fulgeas candidum eximiæ virtutis & meritorum Lumen:

è terrarum ſede in Præmonſtratenſe Firmamentum

à zelo pietatis translatum

ſupra ipſa Canonica Sidera,

Sidus Primæ Magnitudinis conſtitutum.

Auxiliantibus Præſtitibus Dijs,

Nulla Tibi, ABBAS EMERITISSIME fatorum violentia,

audeat offundere nubem.

Hac inſignitus Infulâ; hôc ſtabilitus Pedô;

Excelſus in Eccleſia DEI, per longævas annorum Myriades

ſerenos viuito ſoles:

donec ad cæleſtes, ſerus vocatus Tiaras,

Æternum illud Sanctiſsimæ Triados,

poſt nubila mundi,

in omnes æternitates contempleris,

SERENUM.

Permiſſu, Magnifici Domini

RECTORIS.